

³⁴⁷³
**DISSERTATIO
INAUGURALIS JURIDICA
DE
DECIMIS
NOVALIUM,**

¹⁷³⁷¹
*QUAM
EX DECRETO & AUTHORITATE INCLYTÆ
FACULTATIS JURIDICÆ
IN ALMA, PERVETUSTA, SEMPERQUE CATHOLICA
ELECTORALI UNIVERSITATE MOGUNTINA,*

*P R A E S I D E
PRÆNOBILI, CLARISSIMO ET CONSULTISSIMO
VIRO AC DOMINO,*

**D. JOANNE VALENTINO
STRAUS, J. U. D.**

*Juris Publici & Codicis Profess. Publico & Ordinario,
nec non Facultatis Juridicæ ASSESSORE,
PRO SUMMIS IN UTROQUE JURE HONORIBUS, ATQUE
PRIVILEGIIS DOCTORALIBUS CONSEQUENDIS
PUBLICÆ DISQUISITIONI EXPOSIT,*

GEORGIUS ADAMUS TAVERNIER

*Mogonus, Insignis Eccl. Coll. ad S. Andream Worm. Canonicus,
J. U. C. Auth. & Resp.*

*IN COLLEGIO SCHENCKENBERGICO
Die 19 Septembris Horis consuetis ANNO M DCC XXXVII.*

*MOGUNTIA, Imprimebat Joannes Joachimus Franckenberg, Typograph. privil.
& extraordinarius Academicus.*

DISSERATIO
INAGURATIRE TERKIDICA
DEGIMS
NOALUM

ONIA
EX DECERUM DEDICATIONE MCFATI
IN VEN. HIRANTHE ET. SEMITRONI CATHOLICY
HISTORIA IN VEN. STATE MCFATI
PA K E 2 1 D 5
REMONDI, GIRRARDO ET COMMISSARIO
NUO NUO DUANO
D. JOANNE AUENTINO
STRAUS TUD.
JULIA PIPPIE & CATHARELLE. PAPPLICO & OQUINUS
THO SUMMIS IN URGENTE LUTA MONORUTS, VICES
LUMMETEWS DOGELATUNS DUOMINICENSE
GEORGIAS ADAMS TAVERRNIER
MUNDUNGELLE CULLE CULLE MUNDUNGELLE
DIS SUCCURSUPIE MUNDUNGELLE CULLE AUNO WILDCXXAII.
Modem, 1774. Etiam per Iosephus Prodigium Iungit, 1774. Etiam per Iosephus Prodigium Iungit, 1774.



C A P U T I.

*De origine decimarum & novalium
naturā.*

I.

Decimorum antiquitatem, seu decimas exigendi & vendi per vetustum morem historiæ tam Sacrae quam profanæ ac modera in toto orbe consuetudo testantur. Sic teste PLINIO Lib. 12. Cap. 14. edocemur apud Ethnicos, quos cura aliqua Religionis tangebat, moris fuisse, Decimas solvere tam ex thure quod ex Arabia portabatur Deo cuidam fictio (quem SAB IN vocabant) quam de cinamo apud Ægyptios. Similiter refert JO. KAUFFMANN in suo tract. in tit. Dominus , & subditus p. 2. tit. 2. num. 67. p. 486. Ahenienses Decimas prædiorum Regibus ad bellorum argentibus Arabesque decimas piperis non in pondere, sed mensurâ eorum Deo , quem colebant, sumpeditasse.

Quemadmodum vero decimæ seu eas præstandi usus, solo pietatis instinctu, solaque naturali ratione ante omnem legem invaluit, sic postea DEUS in Veteri Lege per MOYSEN populo Israelitico decimarum præstationem præcepit, atque in signum universalis dominii quasi quodam titulo speciali sibi suisque Ministris reservavit Cap. 33. de Decimis

A

II.

II.

Antiquissimus hic decimandi ritus Authoritate Sacrorum Conciliorum successivè postmodum confirmatus , summorūmque Pontificum sanctionibus sensim præscriptus pro ut statuitur in CONCILIO MOG. 4. Cap.75. idem disponit CONCIL. TRIDENT. Sess. 25. de Ref. Cap. 12. ubi sub Anathemate mandat solutionem decimarum monitione ramen præmissā. Utrūm verò dictæ decimæ Jure naturæ debeantur, inter DD. communiter quæritur. Affirmativam stabilire videtur Exempla suprà coñmemorata, cui accedunt quod Abraham in statu naturæ de omnibus spoliis, quæ tulerat de quinque Regibus à se devictis decimas dederit Sacerdoti Melchisedech, item Jacob GENES. 28. v. 20. *Votum votit dicens: si fuerit Dominus mecum & custodierit me in via &c. Cunctorum, quæ dederis mihi decimas offeram tibi.* Hæc autem nonnisi naturæ ductu facta esse censendum, non enim est credibile, gentes tam multos cæteroqui ingenio discordes, moribus & Legibus civilibus in aliquâ re contra appetitum sensitivum vel facienda vel omittendâ esse concordes, nisi lex quædam omnibus innata fieri illam jubeat aut vetet ; Negativam tamen rectius propugnat communis schola quod tamen intelligendum volumus de decimâ parte fructuum seu de decimis ut vocant formaliter sumptis , non de illâ parte seu quotâ quæ necescariò præcise erit ad alendos Ecclesiæ Ministros , quam non pauci vocant decimam materialiter talem de quibus decimis infra aliter sentiemus. Ratio assertionis nostræ sequens est, quia licet natura solum dicit ut Deum colamus tanquam conditorem , & supremum rerum omnium Dominum , Eidemque ut bonorum omnium fonti grati simus : modum tamen quo cultus iste & gratitudo exhibeat nunquam determinavit. Ad argumenta pro affirmativâ stabiendi deducta

Re-

❀)(o)(❀

Respondemus Abrahamum decimas obtulisse liberā voluntate nullo obligationis naturalis vinculo existente ; quod vero Jacob voverit decimas, potius contrarium probat, scilicet non suisse ad illas dandas aliquo præcepto vel naturali vel divino positivo adstrūctum ; Exempla de variis gentibus decimas offerentibus commemorata ad summū id tantūm convincunt, oblationem quam fecerunt, fuisse conformem dictamini naturæ, quis enim omnes consuetos illos veterum ritus rationi non disformes ex Jure naturæ pullulare unquam afferet. Aliter sentiendum putamus de decimis materialiter talibus quatenus scilicet sapiunt necessariam sustentationem pro Ministris Ecclesiæ, illas enim deberi Jure naturæ nullus DD. ambigit COVAR. l. I. Var. Resolut. Cap. 17. num. 2, di- flusque Author sententiam contrariam censet esse hæreticam, cum in Consilio Constantiensi Sess. 8. ex JOH. WIC- LEFFI 45. propositionibus hæc quoque numero 18. damna- ta si ; Decimæ sunt puræ Eleemosynæ, & Parochiani possunt propter peccata Prælatorum liberè auferre eas. dignus enim est operarius mercede suâ unde sicut Jure naturæ Regibus debentur tributa, Militibus stipendia, Judicibus aliisque Mi- nistris publicis Salaria ; ita eadem eodem Jure debentur il- lis, qui populo in Sacris Ministrant. Paucis hanc rationem expressisse videtur S. PAULUS 1. CORINTH. 9. v. 7. Quis militat suis stipendiis unquam ? Quis plantat vineam & de fructu ejus non edit ? Quis pascit gregem & de lacte gregis non man- ducat ? Utrum autem præceptum de decimis in lege Gratiae sit divinum, an solùm Ecclesiasticum de his videri possunt la- té COVAR. l. I. Var. Resol. c. 17. n. 2. GUTTIER l. 2. Can. Q. 1. c. 21. n. 8. FERD. VASQ. l. 2. Controv. c. 89. n. 1. hæc de origine Juris decimandi in genere , Novalium naturam aliaque hic pertinentia pluribus examinanda progredimur.

olgo!

A 2

III.

III.

Vocabulum autem *novale* non unico significatu accipi, sed multiplices recipere descriptiones, aliter enim Jure Civili, aliter Jure Canonico sumi patet ex Lege 30. §. 2. ff. de verb. signif. scilicet quod sit *terra praecisa que anno cessavit seu inculta jacuit*, qua ratione ut observat Panormit. in C. 21. de V. S. ferè omnes agri essent novales cum communiter cessent per annum; Verum sic minus propriè definiri & in sensu latiori describi facile colligitur ex Cap. 21. de V. S. ubi Innocentius III. cum utriusque hujus expositionis mentionem fecisset; subjungit *novale* nonnihil strictius sumendo: *eam credimus Prædecessorum nostrorum intentionem fuisse, cum piis locis indulgentiam de novalibus concederunt ut novale intellexerint agrum de novo ad culturam redactum, de quo non extat memoria, quod aliquando cultus fuisse.* Quam definitiōnem in materiā decimarum cum communi DD. Sententiā amplectimur; est ergo *novale* Ager noviter ad culturam redactus, de quo non extat memoria quod aliquando cultus fuerit. Ager noviter cultus hic est, qui antea rūdis nullum vel exiguum præstītū usum, nunc verò accidente hominum operā majori aptatur utilitati, veluti si ex sylvā extirpatā vel Palude siccata agri fiant, aut si fundus, qui ab hominum memoriā fuit incultus, denuò ad culturam redigatur. An verò novale semper in sensu stricto sumendum à variis varie disceptatur, existimat quidem BERN. VAN. ESPEN p. 2. Jur. Eccles. tit. 33. C. 6. n. 4. & 7. novale etiam de Jure Canonico non absolvē strictè sumi, sed solū quando SS. Pontifices alicui concedunt decimas novalium; eo quod ejusmodi facultas sit odiosa & restringenda, pariterque restringenda notio & significatio nominis, unde à contrario infert, *novale* in latiori sensu accipendum esse, si non agatur de privilegio

* : (o) : *

legio Juri communi contrario, fundatque se in dicto c. 21. de
V. S. verum se satis non explicat, quomodo extra casum pri-
vilegii accipiendum sit *novale*, & hinc a definitione supra
data non recedimus cum PANORMIT. l. 2. *Conf. 71. Col. 1.*
TUSCH. *lit. N. Concl. 114.* quapropter sine dubio sequi op-
namur *imò* cum ILLUST. D. SCHMID. ad *Jus Statut. Ba-*
var. Art. 13. num. 1. quodsi pratum vel hortus brassica con-
stitutus vertatur in agrum, novalis dici non possit, sicque deci-
mas ex hujusmodi novo agro non pertinere ad eum, ad
quem ex Jure & titulo speciali pertinentes sunt decimae no-
valium sed ad ordinarium decimatorem: et si enim ejusmo-
di fundus sit ager nunc primùm aratro procissus non tamen
habet id, quod *citat.* C. 21. ad rationem novalis requirit, nam
dici non potest, quod sit *de novo ad culturam redactus, de quo*
non extat memoria, quod aliquando cultus fuisse, revera enim
cultus ante fuit, et si non satione frumenti. 2dò Idem evi-
denter ex supra dictis deducimus; Possessorem si contendat,
se ratione privilegii quod habet decimas ex novalibus non
solvendi ad nullas ex suo fundo teneri, probare debere, se
post acceptum privilegium novale fecisse, seu fundum antea
semper incultum coepisse priuata colere, hoc ut probet ostendere
debet, non extare memoriam de culturā. Ad hoc ve-
rò probandum testes deponere debent, se nec vidisse, nec
audivisse dici ab aliquo quod ager cultus aliquando fuerit,
quodque communis opinio ac fama sit, dictum fundum fui-
sse semper incultum, ut notat MASCARD. *de probat. Concl.*
III 2. aut certè probare debet, ex hoc fundo tanquam *ex no-*
vali antecessores non solvisse Decimas.

IV.

Evoluto Conceptu novalium disquirendum, nunc venit, utrum cuilibet liberum licitumque sit novalia conficere, id est fundum omnino sterilem ad culturam redigere; & quidem de talibus agris qui ita Domino nostro subjecti ut tertio nullum omnino Jus, quale illud demum sit, competit, nullum dubium est, liberum esse cuicunque instaurare fundos etiam non impetrata Magistratus concessionem, quilibet enim facile concedet majorem in regula Conciliari utilitatem si sylva excidatur, aut solum lapidibus, fabulo, spinis, aliisque ratione rude ac impeditum convertatur in agrum foecundum; adeoque qui talem in se suscipit laborem bono publico plurimum conduceantem impediri non debere, cum in vulgus notum sit, agricultaram generatim variis ex causis singularem in Legibus mereri favorem, & unumquemque re sua pro arbitrio uti valere. *L. 21. Cod. Mandati.* de illis autem agris, in quibus Dominum nostrum magis restrictum atque tertio Jus aliquod v. g. Jus pascendi, venandi & competit, aut si utilitas Reipublicae per talem mutationem detrimentum capere exinde possit, aliter sentiendum, cum hoc non nisi annuente summâ in Republicâ potestate, aut privato, cuius Juri præjudicari posset, consentiente fieri posse, nemo erit, qui ibit inficias per vulgata Jura. *L. 13. §. 1. ff. de S.P.R. & Argum. L. 20. §. 3. de S.U.P.* haec tenus de *novarium* natura ad eos nunc ordo vocat, quinam ex iis teneantur ad præstandas decimas vel a tali onere eximantur.

CA-

VI

A

C A P U T II.

Quinam teneantur ad solutionem decimarum novalium vel ab ea eximantur.

I.

AD decimas prædiales teneri omnes qui titulo non spirituali habent fundos alicui Ecclesiæ subjectos , nisi legitimo aliquo titulo sint exempti, patet ex Cap. 4. 6. 8. 21. 32. hoc tit. alisque Juribus propè innumeris. imò infideles obligari ad solvendas decimas ex fructibus possessionum quæ in terris Christianorum existunt , vel quæ jam olim erant Christianorum dominio ac oneri decimarum subjectæ unanimiter sentiunt DD. per C. 16. de decimis C. 18. de usuris ex ratione, quod onus decimarum sit reale ipsisque prædiis annexum res verò transeat cum suo onere; sicut & hæreticos ad illas erogandas obligari nemo Catholicorum dubitat, hæretici enim utpote Baptizati æquè ac Catholici obligantur præceptis Ecclesiæ cùm per Baptismum eam ingrediantur ac ejusdem Jurisdictioni subjiciantur FARINAC. de hæresi Q. 189. Aliique ab ipso citati. Idem statuendum quo ad Clericos licet curatos nempè & illos oneri decimarum subjectos ex fundis patrimonialibus, seu quos titulo profano puta Emptionis , Donationis acquisierunt ita GAB. VASQ. tract. de benef. C. I. §. un. dub. 8. MONET de decimis C. 5. n. 3. REBUFF. de decimis Q. 5. n. 3. quæ assertio procedit non solum de prædiis in aliena parochiâ, sed etiam in propria sitis, scilicet si aliis ex Parochiæ fundis decimas colligendi Jus habeat;

postquam enim Parochiarum & Dicecesium divisiones factæ prædia unicuique Ecclesiæ assignata habent annexum onus reale, atque cum hoc onere transeunt ad Clericos etiam Parochos. Quin quod Parochos propter dictum onus solvere ex prædiis in aliena Parochia sitis tametsi sint assignata pro dote suæ Ecclesiæ & in propriam ipsorum sustentationem concors est DD. Sententia GUTTIER Q. Can. L. 2. C. 21. n. 54. MONET. de decimis C. 5. n. 6. CANIS. de decimis C. 6. n. 2. præterque rationes supra allegatas indicant sat clarè Can. 42. C. 16. Q. 1. Can. 43. 16. Q. 1. de quo latè videri potest P. FRIDERICH de decimis à fol. 35. usque ad 40. Imò Ss. Pontificem teneri ad solvendas decimas ex prædiis quæ titulo temporali possidet habet Sententia unanimis, neque obstat, quod Pontifex sit supremus Dispensator & Juris Ecclesiastici: est enim solum dispensator non verò Dominus, idcirco non potest eas suo arbitrio usurpare. Hinc quamvis obligatos eximere ab hoc onere possit uti multos exemit & sic eadem potestate, quā alios etiam se ipsum eximere possit: id tamen dictis non repugnat, utpote cum exemptione obligationem præsupponat; hanc ipsam tamen potestatem eximendi sine rationabili causa æquè tam parùm circa se, quam circà alios usurpare posse sentimus. Quibus vero modis à tali obligatione quis eximi possit, sequentibus sumus declaraturi.

II.

INNOCENT. III. cum Cap. 24. de decimis statuat quemlibet teneri, decimas solvere, mox addit nisi à præstatione ipsarum decimarum specialiter sit exceptus. Ex quibus certos modos, quibus quis immunitatem acquirere possit, dari statuimus: inter quos præcipui numerantur *privilegium*, *præscriptio*, *consuetudo* de quibus in hoc & sequentibus ex professio-

* : (o) : *

fesso non ihil specialius agemus. Et quidem quod
privilegium attinet , illud aut antiquitus concessum & Juri
communi insertum , vel posterioribus saeculis certis ordinibus
Religiosis per speciales bullas , aut vivae vocis oraculo
datum sive Juri communi non insertum. Jure communi
olim ferè omnes Religiosos sive exemptos à solvendis de-
cimis tam personalibus , quam realibus patet ex *Can. 47. 16.*
Q. 1. & C. 10. de decimis , quod tamen privilegium deinde
varie sive restrictum , constat ex *C. 10. c. 8. c. 34. de decimis.*
Postea MARTIN. V. Cisterciensibus generaliter indulxit , ut
à Decimis essent immunes tam possessionibus habitis ante
& post Concilium Lateranense quam de cetero habendis ,
etiam de novalibus quandocunque ea volent , nec non de
illis possessionibus de quibus hactenus aliquis decimas per-
cepit. Religiosis vero reliquis vi Juris communis per *C. 10.*
boc tit. concessum duntaxat est , ut de novalibus suis , que pro-
priis manibus aut sumptibus excollunt , & de nutrimentis anima-
lium suorum , & de hortis suis decimas persolvant. Imò specialibus
privilegiis realibus Juri communi non insertis bona
omnia quorundam Regularium Ss. Pontifices exemerunt quo-
rum diversorum ordinum privilegia enarrat GONZAL. in
C. 4. de decimis n. 8. MIRANDA in Manuali t. 2. *Q. 49. Art.*
12. insigne pariter est privilegium quod Gregorius XIII. con-
cessit Religiosis Soc. IESU i. Jan. Anno 1578. in bulla *pafio-*
ralis officii ubi non solum confirmat , exemptionem eidem
Societati factam à PAULO III. & PIO IV. que Emptio se
non tantum extendit ad subsidia charitativa vel alia ordinaria
onera pro expeditione contra infideles sed etiam specialiter
& expressè derogat *c. 34. de decimis* quo statuitur , ut qui cun-
que Religiosi non obstantibus Privilegiis antea concessis de
terris alienis & iis insuper , quas post dictam Innocentii con-
stitutionem acquirent , sive per Emptionem sive per Dona-
tionem ,

B

tionem, vel alium titulum quiscunque is demum sit, decimas solvant Ecclesiis, quibus alias illae debebantur; Atque hoc juxta privilegium non semel pro eadem Societate judicatum esse Romæ, testantur P. FRIDERICH *de decimis* & alii ab ipso citati *fol. 101.* Utrum autem Religiosi, qui in specie à solutione decimarum exempti non sunt, attamen generali communicationem privilegiorum cum exemptis habent, hoc ipso etiam quo ad decimas privilegiati censeantur. vid. ENGEL. *tit. de decimis n. 45.* Atque hic breviter quædam privilegia retulisse sufficiat, de ejus natura ac quatenus illud extendi possit, in subsequoribus discutientes

III.

Privilegium Exemptionis cum sit odiosum & vergens in præjudicium Ecclesiae ita strictæ interpretationis illud esse, tenent SUARETZ *tom. 1. de Relig. tr. 2. l. 1. c. 18. n. 6.* GUTTIER *Conf. 5. n. 5.* restrictionem rāmen ita privilegii faciendam esse, ut ejusdem verba sensum proprium semper retineant, rectè notat DECIUS *Conf. 113. n. ult.* atque hinc in casu quo alicui conceditur privilegium de non solvendis novalium decimis, *novale stricissimè sumendum*; nimirum pro illo duntaxat solo recens culto ex quo ante nulli vel modici tantum fructus decimis subjecti percipiebantur, uti patet ex C. 21. *de verb. signif.* inque hanc Sententiam inclinant, WERENDLE *de decimis l. 4. c. 1.* MONET *c. 4. n. 50.* ex quo deducimus, quodsi pratum aut pascua, ex quibus Parochus decimas sceni vel pecorum habet, in agrum redigantur, decimæ ipsi ex frumento solvendæ sint à Domino agri, et si dominus Dominus privilegium habeat decimas ex novalibus non solvendi, per cap. 4. hoc tit.

Sed an *Privilegium non solvendi decimas concessum eximat* solum

*) (o) *

solum de novalibus, an vero & illud procedat de praediis antiquis? inter DD. controvertitur, quod ultimum cum P. NORMITANO, in C. 31. de privilegiis affirmamus, hocque aperte deciditur. ex C. 10. hoc. tit. ubi cum Pontifex recensuit, solum suos Antecessores omnibus ferè Religiosis concessisse, exemptionem à Decimis suorum laborum seu praediorum quæ habet; postea restringens, hoc privilegium ait se solis Cisterciensibus, Templariis exemptionem in suis praediis concedere; cæteris vero Religiosis duntaxat de novalibus. Ergo supponit *privilegium immunitatis* absolute concessum procedere de praediis tempore privilegii jam possedit, onerique decimarum subjectis; alias si illud per se solum procederet de novalibus, peculiari restrictione opus non fuisset. idem eruitur. ex C. 12. hoc tit. ubi Pontifex illos reprehendit qui *privilegium exemptionis* Cisterciensibus concessum dicebant solum procedere de *novalibus*: addens si exemptionem concedere voluisse tantum de novalibus se fuisse expressum nomen *novale*. Ergo ubi hoc non exprimitur, procedit exemptio de praediis antiquis. Neque ratione destituimur, privilegium enim solvendi, si expresse non restringatur ad novalia, est universale, ac idcirco non solum personas sed quælibet bona eximet, atque hinc non solum in illis fundis, qui haec tenus non colebantur, sed etiam & maximè illis qui nunc sunt sub privilegiati, vel jam fuerunt sub Antecessorum culturâ exemptio procedet.

Utrum autem privilegium non solvendi decimas novalium extendatur ad praedia novalia post ejus concessionem acquirenda, de eo non minus dubitatur ex ratione, quod privilegium immunitatis tanquam odiosum restringendum; & cum res transeat cum suo onere, præmium post privilegium acquisitum onerique decimarum subjectum, non nisi cum dicto onere acquiratur; ex quibus DD. cum OLDRA-

DO Conf. 268, inferunt, privilegium immunitatis concessum non extendi ad prædia post ejus concessionem acquirenda. Verum contrarium afferere opinamur cum COVAR. l.1. Var. C.13. in fin. per C. 22. de privil. ubi remissio decimarum facta ab Episcopo secundum *Canonicas Sanctiones* intelligenda est non solum de decimis possessionum illius temporis, quo facta est remissio, sed futuri. Unde à fortiori si fiat à Ss. Pontifice intelligitur de possessionibus etiam futuri temporis, cùmque Pontifex nihil exceperit, & in beneficiis plenissima interpretatio adhibenda, non debent arctari limitatione verba Generalia, quæ indefinitè privilegium concedunt. Idem manifestè eruit ex C. pen. hoc. tit. ubi privilegium Cisterciensibus absolutè concessum de non solvendâ ex propriis prædiis decimâ, statuitur, ut de alienis terris acquirendis, etiamsi eas propriis manibus excolant, decimas persolvant, quibus verbis apertè supponitur, illud privilegium in c. 10. b. t. concessum processisse de decimis ex prædiis postea acquirendis, alias expressa illa limitatione in cap. pen. de decimis non suisset opus.

Neque obstat, rem cum suo onere transire, hoc enim intelligendum Judicamus, quando solum persona est privilegiata, non verò quando ipsa prædia oneri exempta. Alia longè ratio est de præscriptione, quâ præscribitur ipsum Jus decimandi; Jus enim colligendi decimas ex prædiis acquirendis ideo præscribi nequit, quia præmium acquirendum nondum est possessum, plus autem non præscribitur quam possatum, quæ ratio in nostro casu non procedit, cum privilegium non præsupponat possessionem, quam tamen supponit præscriptio. Quid autem dicendum in casu, quo aliquis habet prædia conducta vel Emphyteytica, an vi privilii immunitatis sibi suisque prædiis concessi dicta prædia sint oneri exempta. Nos pro Regula hic tenendum ducimus,

mus, inspicendum præprimis privilegii tenorem, si autem
 (ut frequenter contingit) de particulari casu emergente ver-
 ba privilegii non disponant, *privilegium immunitatis concessum*
 ad prædia conducta non extendi communiter sentiunt, ex
 ratione quod Conductor possessionem nec naturalem habeat,
 cum non suo sed alieno nomine in possessione sit per *L. fin.*
 in *Cod. de acq. possess.* igitur nonnisi impropriæ dici potest,
 rem habere aut possidere. Ergo privilegium in hoc casu
 tanquam odiosum neutquam ultra proprium verborum sen-
 sum extendendum, hōcque manifestè indicat *c. 8. de decimis*
 ubi Pontifex statuit intentionis suæ vel Antecessorum suorum
 non sūisse immunitatem in prædiis conductis concedere; et si
 illa esset concessa in prædiis quæ propriis manibus vel sum-
 ptibus colerentur, & licet de bonis Emphyteuticis, major sit
 difficultas probabilisque eorum Sententia, qui dictum pri-
 vilegium ad ea extendunt, tūm quod bona Emphyteutica ve-
 rē ac realiter propria censeantur, saltem quoad dominium
 utile *L. 1. Cod. de Jur. Emphy.* & *L. 1. ff.* si ager vēctig, tūm
 quia Emphyteuta naturaliter possidet, et si possessio civilis sit
 penes Dominum directum, ut tradunt *MENOCH. de retin.*
possess. remed. 3. n. 82. HARPPR. ad §. 3. Inst. de locat. n. 254.
MOLIN. de Just. & Jur. tr. 2. disp. 12. n. 16. probabilior ta-
 men videtur Sententia negantium quam tenent *SUAR. c. 10.*
n. 11. & 12. & alii cum enim bona Emphyteutica non sint
 propria Emphyteutæ & concessio in feudum vel Emphyteu-
 sin non sit modus transferendi dominii directi, sed potius
 retinendi, adeoque Emphyteuta propriæ non possit dici bo-
 num Emphyteuticum tanquam proprium possidere, verba
 hujus de quo loquimur privilegii strictè erunt interpretanda
 scilicet de domino directo ac magis propriæ sumpto ut pa-
 tet ex *cap. 8. de decimis*

IV.

Eadem se exhibet difficultas , quid sentiendum in casu , quo certum Monasterium immune à pendendis decimis novalium elocent suos fundos , an conductores quoque eâ locantium immunitate gaudeant ? ad quam difficultatem breviter dissolvendam , privilegium immunitatis personalis Monasterio concessum ejus conductoribus non prodeſſe , aliud verò obtainere , in reali privilegio concessò dicimus . Veritas prioris asserti manifesta ex c. 11. hoc tit. ubi dicitur : licet de benignitate Sedis Apostolice sit vobis indulatum , ut de laboribus , quos propriis manibus vel sumptibus colitis , nemini decimas solvere teneamini : propter hoc tamen non est licitum vobis decimas de terris vestris subtrahere , quas alii traditis excolendas . Privilegium enim personæ inhærens ad alios se non extendit , tale privilegium Juri communi Religiosis concessum est , Can. 47. 16. Q. 1. quia datum est , solum laboribus seu prædiis quæ propriis manibus seu sumptibus colunt , & ita sentiunt BARBOS , GONZAL , WAGNERECK ac alii in c. 11. de decimis . Posterioris Sententiæ Patroni sunt PANORMITAN . in c. 10. de decimis n. 5. AZOR tom. I. l. 7. c. 26. Q. 7. ex ratione , quod Privilegium reale sit qualitas afficiens ipsam rem sicque Posſessor gaudeat dicto privilegio ; unde cum Religiosi mendicantes ac alii hujusmodi privilegium reale habeant , quo non solum ipſi ; verū etiam prædia eorum a decimis solvendis eximantur , liberi quóque ab illarum preſtatione ſunt coloni . Ut ex pluribus Rotæ deciſionibus probat PUTEUS Decif. 522. dubium verò reſtat , quod in p̄ſentī materiā sit nāma privilegium reale , quod nam personale ? de privilegiis Jure communi concessis DD. convenient , illa tantum effe personalia & ideo ad colonos non extendi , de privilegiis Jure communi non contentis , qua-

qualia multi habent Religiosi inspicienda esse verba privilegii supra notavimus hæc vero quatuor modis concipi posse notat NICOLL. Aunot. ad cap. 8. MONETÆ de decimis n. 159. primus est Juri communi usitatius, *de propriis, vel de agris, quos propriis manibus aut sumptibus colis.* Et sic concessum esse personale nemo dubitat. 2dus: *eximimus hos Religiosos* & eorum prædia ab onere solvendi decimas. 3tius *eximimus* sive per se, sive per colonos prædia colant, duobus his modis, si concedatur, privilegium esse reale omnes affirmant. 4tus est, si absolute dicatur: *quod non teneantur solvere ex suis prædiis* hæc que ratione concessum reale esse censemus, cum SUARETZ. Tenor enim privilegii ipsa prædia respicit, nam si coloni in hoc casu tenerentur solvere, annon exempti de suis prædiis solverent? à quâ solutione vi tenoris tamen sunt privilegiati. Ex hoc autem non sequi volumus, colonos esse, omnimodo immunes, quin potius æquivalenter auctâ nimirum propterea pensione vel aliâ hanc ob causam compensatione Monasterio exempto facta decimas alias Ecclesiæ competentes resarcire arbitremur, hæc de privilegio quatenus illa immunitas præscriptione & consuetudine acquiri possit, paucis subjiciemus.

V.

Licet non desint qui omnimodam exemptionem à decimis novalium præscribi à Clericis non posse contendant, inter quos BERLICH. p. 2. Concl. 4. n. 24. illorum tamen nobis præplacet opinio, qui in affirmativam cum COVARR. l. 1. var. c. 17. n. 10. inclinant & satis manifestum esse docet c. 6. de præscript. & c. 1. eod. in 6. vi quorum Ecclesia contra Episcopum præscribere decimas potest: poterit igitur à fortiori præscribere decimis cum plus sit easdem colligere, quam

quam non solvere. Controversia vero nobis quam maxime de laicis remanet, utrum hi immunitatem a solvendis decimis prescribere possint quod intrepide affirmare non dubitamus cum GAB. VASQ. tr. de benef. c. i. D. 5. MOLIN. tr. 2. de Just. disp. 75. num. 5. CARPZ. p. 2. const. 2. defin. 4. n. 5. ENGEL. tit. de decimis n. 47. quae sententia tamen procedit, de casu quo Clericis aliundè provisum erit de sufficiete sustentatione. Cum enim integra communitas ab obligacione solvendi decimas novalium consuetudine eximi possit, nemo (nisi fallimur) in dubium vocabit, eximi posse particulares personas vi prescriptionis cum minus hic veretur praedicti respectu Ecclesiae. Imò quamvis Laicus Jus decimanum competens acquirere non possint, per inferius dicenda, immunitatem tamen eos prescribere non posse, ex eo non evincitur; per hanc enim prescriptionem nullum Jus Spirituale, sed tantum potestatem fructus suos integros percipiuntur; nec obstat, quod juxta non paucos annis præstationibus futuris prescribi non possit, sed tantum præteritis quae videlicet solvi quidem vi contractus debuerant, soluta tamen non sunt: aliud tamen certè statuerunt Ss. Jura de decimis; nam c. 4. de prescript. eum qui 40. annis quartam decimarum non solvit, ab omni obligatione absolvit. Aliter videtur solvere P. ENGEL hoc dubium n. 47. tit. de decimis. Tempus vero ad hanc prescriptionem requiritum pro diversis casibus variat, vel enim prescriptio prætenditur contra Ecclesiam Parochiale, quo casu requirunt cum tit. 40. annos & sine titulo tempus immemoriale per c. i. de prescript. in 6to. vel allegatur prescriptio contra aliam Ecclesiam, aut Monasterium & sic 30. anni etiam sine titulo sufficiunt. Vel prescribitur contra Clericum privatum vel Laicum & sic requiruntur 10. anni cum titulo &


ENGEL tit. de decimis n. 49. Ante omnia tamen in hac im-
munitatis sicut in quavis alia præscriptione bonam fidem re-
quiri per c. fin. de præscript. statuimus.

VI.

QUAM vim præscriptioni circa exemptionem à præstandis
decimis adjecimus, eandem tribuimus consuetudini, sta-
tuendo, decimas novalium consuetudine absolutè & totali-
ter tolli posse p. c. 32. de decimis. Et cum decimæ debeantur
in lege gratiæ, præcepto tantum Ecclesiastico juxta com-
muniorem DD. Sententiam, abrogari hoc præceptum posse
contrariâ consuetudine sine dubio sequitur, neque ob-
stat consuetudini vim quidem esse legis tollendæ, si
per hanc Ecclesiæ nullum quæsitum sit jus, nam & non ali-
ter esse quæsitum nisi per legem, & quamdiù illâ fideles ob-
ligantur; Ergò cessante lege utpote per consuetudinem cas-
satâ pariter cessabit Jus Ecclesiæ anteà quæsitum; sicut de eo
minus dubitandum, consuetudine introduci posse, ut fundum,
ad culturam redigentes per aliquod tempus à decimis
sint immunes. Ita secundum Ordinationem Austriacam de
decimis §. 1. à decimis per integrum quinquennium exem-
ptos esse prædia inculta ad culturam redigentes testatur
SYRING de decimis c. 10. §. 20. Hactenvis de iis, qui ad de-
cimas novalium solvendas teneantur vidimus, quibus
nunc dictæ decimæ debeantur, sequentibus
breviter discutiemus.

C

CA-



C A P U T . I I I .

Cui debeantur decimæ novalium?

Non désunt rationes & argumenta nec non Doctores, Do-
minum territorialem decimas novalium vigore der-
Lands Fürstlichen Obrigkeit percipere posse statuentes, inter
quos MATTH. STEPH. de Jurisdict. l. 2. p. 1. c. 7. n. 448. BE-
SOLD. de Jurisdict. Q. 18. vers. quo etiam refero fol. 53.
KNIPPSCH. l. 2. de Jure Civit. Imperial. c. 5. n. 171. KLOCK.
de contribut. c. 1. n. 298. HERTII Opusc. volu. I. tom. 3. fol. 148.
eamque quæstionem latè deducit SYRING vom Zehend-
Recht fol. 164. ex his præcipue fundamentis: cum enim ipsa
bona deserta, & inculta ad Principes aliósque territoriorum
Dominos Jure Superioritatis pertineant etiam eorundem fru-
etus & sic decimæ novales pertinebunt; maximè cum per
eiusmodi eradicationem sive culturam Territoriorum Domini-
ni incommodum sentiant quoad Jus pascendi & percipiendi
feras, atque ideo meritò etiam illis commódum obvenire
debeat. arg. l. 10. ff. de Reg. Jur. Hinc etiam quod ex novali-
bus decimæ, qua anteā non præstabantur, à Clericis exactæ
fuerint, jam olim durum & grave visum fuisse imperii Ger-
manici ordinibus, adeoque de eâ re in Articulis contra Pa-
pam & Clerum in Comitiis Norinbergensibus conquestos
fuisse testatur HARTM. l. 2. pract. obser. tit. 53. obser. 10.
in fin. tum quod Ecclesiæ Parochiali nunquam quæsitæ, &
consequenter vi constitutionis pacis Religiosæ de Anno 1555.
Die weil aber etliche Stände, earum restitutionem Ecclesiæ
stici

stici à Sæcularibus petere frustra attentent. Hisce tamen non obstantibus contrarium verius & receptius WEHN. vom Behend. hancque Sententiam inexcusabilis erroris arguit HUNN. imò hæreticam D. SCHMIDT ad statut. Bav. tit. 28. art. 3. n. 2. errorēmque hunc ex eo ortum esse arbitratur DENICOL. annotat. ad c. 4. n. 55. MONETÆ de decimis quod malè interpretati sint BALD. in Rubric. Cod. de contrahend. empt. Q. 27. dicentem: quidquid reperitur intra fines castri & loci præsumitur Jure Dominii pertinere ad Dominum illius loci, hic enim Doctor supponit dominium prædiorum in nullius esse potestate adeoque ne dominia rerum maneat in incerto, Jura disponunt, ut talia bona censeantur Domini illius castri, in quibus sita reperiuntur, donec compareat, qui legitimè illa vindicet. Quod certè nullo modo dici posse de novalium decimis, constanter affirmandum existimamus cum ex Canonis Sanctionibus eo ipso quo terra sata est, & effecta decimabilis, ejus fructus jam habeant Dominum nempe Episcopū, Ecclesiam, Parochum, aut alium legitimū Decimatorem quoad quotam de Jure vel consuetudine ipsi competenter, quin quod decimæ sint res Spirituales utpote propter Spiritualia ministerium competentes, Laicis autem nulla sit de Spiritualibus concedendi vel disponendi facultas, & Imperialis concessio quantumcūq; generaliter fiat, reminem potest à solutione decimiarum eximere, quæ divinâ constitutione debentur, multò minus sibi attribuere per cap. 25. de decimis COVAR. Var. Resol. l. 1. c. 17. n. 13. WERND. vom Behend. Recht, l. 4. c. 5. per totum. hinc licet certum fore bona deserta atque inculta ad Dominos territoriales pertinere quod tamen valde ambiguum, ut patet ex iis, quæ in contrarium adducit MENOCH. l. 3. præsumpt. 100. n. 9. incepte tamen inde deduceretur decimas inde collectas esse Principum Sæcularium. Alias pariter sequeretur, decimam

ex rebus immobilibus esse eorum, qui illas proprietatis Jure possident, quâ ratione nullæ omnino decimæ deberentur Ecclesiæ, quod utique hæreticum effet afferere. Vim quam dissidentes in incommodo ponunt, quod per ejusmodi eradicationem & culturam ratione Juris pascendi & percipiendi feras domini territoriales sentiunt, bene notat WERND. hoc facile recompensari posse per impositionem certi censüs annui. Ad constitutionem pacis Religiosæ à DD. præfatis allegatam respondemus negando decimas novalium Ecclesiæ Parochiali nunquam fuisse quæsitas, cum in concessione decimarum à DÉO ipso suis Ministris facta, decimæ novalium non fuerint exemptæ. Atque hanc assertionem generaliter attigisse sufficiat, pro cuius meliori enodatione quæstionem nostram in 2. partes dividimus 1ma cujus sint Decimæ novalium si certò constet, ea esse in aliqua Parochia & solum Parochum, cœteras decimas in eâ colligere. 2da Quid si dubitetur an sint novalia in hac vel illa Parochia? ad p̄ imam Quæstionem est communis Responsio Canonistarum, quod ob Juris Assistentientiam, quam habet Parochus intra fines sua Parochiæ, quoties non adsit privilegium, consuetudo, vel legitima præscriptio in contrarium, decimæ omnes etiam novalium ipsi Parocho competant. REBUFF. de decimis Q. 14. n. 2. ad secundam partem quæstionis. Respondet ENGEL. tit. de decimis n. 7. nimur si novalia intra fines alicujus Parochiæ exsurgent decimas eorum deberi illi Parochiæ, intra cujus districtu exsurgunt. Si verò in loco nullius Parochiæ fiant, cuius exemplum ponit in sylva quæ inter duas Parochias jacens pro utriusque termino fuit assignata si ad culturam redigatur, decimæ horum novalium debeantur Episcopo, eoquod ipse fit Parochus loci, qui proprium Parochum non habet per c. Quoniam 18. & ibi P. NORMITAN. n. 2. de decimis.


Quid

Quid vero dicendum in dubio , an novalia sint in hac
vel alia Parochia vide latè differentem de NICOLL. ad MO-
NETAM de decimis in annot. ad c. 4. n. 60. usque ad 66.

II.

EX his merito dubitatur , ad quem spectent decimæ nova-
lium , quando non ipse Parochus est ordinarius decima-
tor sed alius , puta Monasterium aut aliæ personæ Ecclesi-
sticæ . Antequam ad hanc quæstionem procedamus , actum
agere aut Jambum ferire non censemur , si aliqua præmit-
tenda ducamus , quibus ad controversiam hanc enodandam
facilius via planabitur . Et quidem , quod Monasteria cæte-
ræque personæ Ecclesiasticæ Jus decimandi ex privilegio Pa-
pali acquirere possint , statuit cum aliis ENGEL tit. de decimis
§. 2. n. 20. Imò præfatum jus acquiri posse per præscriptio-
nem Sententia est unanimis , ita tamen , ut pro casuum varie-
tate tempus ad præscriptionem requisitum variet ; interdum
tempus 40. annorum cum titulo propter præsumptionem
juris , quæ militat pro Parocho & contra præscriptionem
scilicet in casu quo contra Parochum præscriptionem quis
opponit ; idem dicendum circa parochias Monasteriis ple-
no jure incorporatas , ita ut decimæ earum nonnisi 40. an-
nis cum titulo contra Monasterium præscribantur , ex ratione
quod per incorporationem Monasterium habeatur loco Pa-
rochi . Ad præscribendas decimas contra Ecclesiam , cui
tantum ex privilegio vel præscriptione competunt sufficit
posse probare possessionem bonâ fide per 40. annos conti-
nuatam vel 60 anni si quæ sexagenariæ præscriptionis privi-
legio munita sit , tibi munita Monasteria Ordinis S. BENE-
DICTI & Mendicantium c. 1. de præscript. in 6to junct. c. 2.
de restitut. spoliat. imò contra Clericum vel privatum 10. an-

ni inter præsentes & 20. inter absentes cum titulo , & sine
titulo 30. sufficient FRIDERICH de decimis p.3. c. 2. n. 457,
Ratio patet ex dictis cum in alio casu Jus commune Clerico
non assit nec præsumptio Juris adsit, nec favor Ecclesiæ
ob quem quadragenaria præscriptio requiratur. REBUFF.
de decimis Q. 13. n. 100. idem jus decimandi tempo-
re immemoriali acquiri posse à personis Ecclesiasticis apud
omnes est in confessio, licet in definitione temporis imme-
morialis varient ; nobis videtur sanior illorum opinio qui
possessionem immemorialem illam dicunt , cujus CONTRA-
RII MEMORIA NON EXTAT, per cap. i. de præscript. in 6to. Ergo
si existat memoria contrarii, non erit possessio vel præscriptio
immemorialis. Ex quo luculentè sequitur, siq; constet, quod
decimæ, in quarum possessione nunc est Monasterium, ante
annos v. g. 200. fuerint penes Ecclesiam parochialem, con-
stat de contrario hujus possessionis, hoc est, existit memoria
contrarii, talisque possessio non est immemorialis, unde non
benè DD. teste WESENBECK. Conf. 14. n. 26. in centum an-
norum cursu vim possessionis immemorialis statuunt, posset
enim constare ante centum annos aliud fuisse possessorem.
Fallunturque illi quibus placet sequens descriptio, cuius ini-
tii memoria non extat. quia idem posset contingere ut de ini-
cio possessionis alicujus non quidem extet memoria , cum
ignoretur, quo anno determinato coeperit, extet tamen me-
moria de ejus contrario, quâ extante juxta cit. C. non datur
immemoralitas. & ita jam pridem censuit facultas Juridica
Ingolstadiensis in causa decimarum à quodam Monasterio per
150. & amplius annos possessarum teste CANISIO de deci-
mis c. 9. n. 19. certumque esse ait WESENBECK. Conf. 14.
n. 26. hinc ut præscriptio immemorialis legitimè probetur,
testes deponere debent , 1. Quod sit communis opinio de
contrario non extare memoriam. 2. Quod ita semper vide-
rint



rint & audiverint, semper sic fuisse observatum MYNSING.

Cent. observ. 30.

III.

AD questionem præmissam proprius non nihil accedere liceat, ad quem scil. pertineant decimæ novalium, si Jus decimandi non ad Parochum sed ad monasterium quoddam aut aliâs personas Ecclesiasticas vel ex privilegio sive præscriptione seu ex alio titulo spectet? & quidem quod præscriptionem quæcunque illa sit, attinet. Sententia habet fere unanimi eruditorum calculo comprobata ENGEL. tit. de *decimis n. II.* & alii ab ipso laudati distinguendo inter novalia propriè & *impriopriè* talia & ad præscribentem decimas ex novalibus *impriopriè* sumptis collectas pertinere statuunt, ita ut si ex agro vinea fiat, præscribens decimas de novis fructibus iustè petere possit, ex ratione quod Jus decimandi in illo agro hactenùs possederit & præscriperit cap. *cum in tua 30. de decimis.* de novalibus autem propriè dictis aliter sentiunt antea citati DD. statuendo, quod præscribens non possit exigere decimas de iis *nisi rationabilem causam pro se alleget*, ut pote quæ ad Parochum pertineant, ex hoc præcipue fundamento, quia cum in loco novalium ex defectu culturæ & consequenter fructuum nullam decimationem exercere potuerit, intretque vulgata regula, quod non censetur plus præscriptum quam possessum, adeoque præscriptio cum Iuri alterius detrahatur tanquam odiosa strictè interpretanda C. *cum contingat 29. de decimis*, idem dicendum existimat EN- GEL. *n. II.* si ex prato in quo præscribens nullas decimas fecerit, ager fiat arg. *citat. c. 29.* licet enim hujusmodi fundus forsitan in rigore sit *impriopriè* novalis, subest tamen respectu præscribentis ratio, quæ in novalibus propriè dictis militat, cum in tali loco nullum Jus decimandi exercitum, pos- sessum

sessum & præscriptum sit. Cum quæstio præmissa sub limitatione ex c. 29. de decimis decisâ scilicet quod regulariter ad Parochium pertineant decimæ novalium, nisi præscribens pro se rationabilem causam allegare posse, Doctores in enumeratione casuum multum laborant, prout triplicem limitationem ponit FRIDERICH de decimis fol. 174. n. 387. nimirum Primo si decimæ præscriptæ sint intra limites certi prædii & ibi pars aliqua inulta ad cultaram noviter redigatur, maximè si pars illa minor sit, quia una eadémque res non debet diverso Jure seri & major pars ordinariè trahit ad se minorem. Secundò si senex loco inculo præscribens decimarum nomine aliquid sicut utilitatis prius percepit v. g. ex ligno glandibus, arundinibus. Tertiè videtur ipsi planè causa rationabilis, si quis sine titulo per tempus immemoriale vel cum titulo per 40. annos fuerit in possessione collegendi decimas ex novalibus, quæcunque prius in hac Parochia surgebant, eidem Jus colligendi competere de novalibus, quæ etiam imposterum intra eandem Parochiam surgent; quæ doctrina licet difficultatem patiatur, quia non apparet quomodo qui in possessione haftenus fuit quo ad aliquos fundos, sit etiam quoad reliquos, non tamen vacat eam impugnare, rūm quia rari usus rūm quia communis DD. Sententia, fortè non displicebit opinio P. ENGEL de decimis n. II. in fine notantis ex HARPPR. ad tit. Inst. de usucap. n. 253. quod nimirum ex præscriptione specierum resultet præscriptio generis citatusque Author afferit, quod præscripti si resultet ex diversis actibus respectu diversorum, videatur potius assumere naturam consuetudinis, néque rarum esse, ut idem actus diverso respectu nunc præscriptio nunc consuetudo dicatur esse, veluti si Episcopus sine Consilio Capituli, soleat visitare Dioecesin, respectu Capituli & Episcopi erit præscriptio respectu Dioecesis & populi erit consuetudo.

IV.

Majus versatur dubium, si monasterio competitat jus decimandi exprivilegio, an tale privilegium concessum de jure extendi possit ad decimas novalium?

Affirmativam cum GLOSS. PANOR. in Cap. 27. b. tit. plerique veteres Canonistæ tenuere, ut refert PARTHOL. in eodem C. ex parte 27. b. tit. econtra recentiores existimant privilegium decimandi etiam Ecclesiasticis concessum non comprehendere decimas novalium inter quos COVAR. l. 1. var. resolut. c. 17. n. 13. PIRRING. tit. de decimis n. 104. ZOES. eod. n. 56. GONZAL. c. 4. de decimis n. 9. quibus & nos subscribimus deque eo minimè dubitare finit textus apertissimus in cap. 31. de privil. ubi supponitur privilegium veterum decimarum, seu quod idem est, abfolutè concessum, absque speciali mentione novarum non extendi ad novalia nisi expressè addatur extensio, & quando additur strictè dicitur interprætanda; neque satisfacit responsio. P. ENGEL tit. de decimis n. 10. (qui utramque sententiam pro substato casu approbare videtur) hoc intelligendum esse, vel de casu, quo concessio cederet in grave præjudicium Parochorum, vel quo religiosi accepissent decimas de manu Laicorum, ut in fine cap. declarari videtur: nam textus loquitur abfolutè & præjudicii parochorum ac monasterii, vel concessionis à laicis factæ non meminit, cum ultima capituli verba connexionem cum primis non habeant, ut patet considerant media, cumque privilegium decimandi Clericis concessum, etsi minus odiosum sit, quam concessum Laicis simpliciter tamen odiosum est, ac præjudicans Ecclesiæ sic per consequens restringendum; veligitur ea sunt privilegii verba ut salva verborum proprietate restringi possint

D

sint ad decimas antiquas, & non extendi ad novas? vel omnes comprehendunt ita ut sine impropriâ ac violentâ interpretatione restringi ad antiquas possint, si prius: tunc æquè quo ad Clericos quam laices restringenda sunt utpote utrîque odiosa, notandum enim, uti infra dicemus quod privilegium decimandi Laicis concessum juxta sententiam omnibus communem non extenatur ad novalia, quod ipse etiam afferit *cit. ENGEL n. 8. dicto tit.* si posterius: tum neque quoad Laicos restringenda sunt, quia neque horum privilegium torqueri ad improprium sensum debet, hinc non placet distinctio *cit. P. ENGEL* quam facit inter religiosos qui in eâdem parochia ministrant sacra populo, & inter privatos Clericos ac extraneos parochos, his negans decimas ex novalibus, illis concedens: nam privilegium etiam religiosis concessum simpliciter odiosum est, cum non ipsis sed parocho jure communi decimæ debeantur, neque obstat, quod privilegium non solvendi decimas extendatur ad novalia, non enim est eadem ratio privilegii negativi de non solvendis quæ positivi de percipiendis: illud enim ex forma & vi verbo um est magis universale propter negationem dicitq; me non teneri ex meis prædiis aliquid solvere, quæ negatio est absoluta, nec absolute vera esset, si ex aliquibus prædiis (qualia utique sunt etiam novalia) aliquid solvere tenererat, privilegeium percipiendi est affirmativum & vi verborum solum dicit me posse eas colligere quas modò colligit Parochia, accedit quod illud minus præjudiciis afferat Parochiæ quam hoc; per hoc enim Ecclesia privatitur decimas quæ proveniunt etiam ex aliis prædiis, per illud duntaxat iis quæ ex meis, prout solide notat P. FRIDERICH *de decimis n. 393.* Hinc ex cap. 22. de privil. quod pro illo discrimine inter religiosos ac alios decimatores à P. ENGEL adducitur, benè quidem infertur, eos vi privilegii de non solvendo

(3) (o) (3)

do non teneri solvere decimas ex novalibus, non verò quod
vi privilegii decimas percipiendi possint ex iisdem etiam
percipere, cum textus solum loquatur de immunitate.

27

V.

QUÆ modò diximus, juxta non paucos solum proce-
dunt de privilegio in forma communi concessio, quo
videlicet simpliciter solum fit, potestas colligendi decimas
in hac vel illâ Parochiâ: non verò de illo, quod amplissi-
mis verbis datur, v. g. *si dicat Pontifex se concedere omnem*
& quamcunque in Parochia decimationem, hac enim forma
includi etiam novalium decimas post REBUFF. q. 14. n. 31.
censet ENGEL. n. 10. nec forsitan immerito, qui enim totum
dicit nihil excludit, nec verum propriè esset quascunque de-
cimas concessas esse, si non essent concessæ etiam novalium,
verùm responderi posset ob rationes pro nostrâ assertione
allatas sensum solum esse quascunque veteres & quæ defacto
percipiuntur. Quod addunt eadem vim habere hæc ver-
ba, *omnem decimationem hujus territorii*; difficile nobis,
nec admittendum esse videtur, fatentur enim hi DD. non
comprehendi decimas novalium, si Pontifex solum dicat:
concedimus tibi decimas hujus territorii, cum ergo hæc inde-
finita propositio æquivaleat universalis *omnes decimas* & ta-
men decimas novalium non includat consequens est ean-
dem nec includi hac universalis *omnes*, ex ratione quia Ponti-
fex in dubio non præsumitur præjudicare decimatori Or-
dinario. Hactenùs dictis aperte contrarium videtur cap. 27.
de decimis ubi monasterio antiquas decimas possidenti & no-
valium quoque decimas sibi concedi postulanti Pontifex,
vel ut gratis peterentur, utpote jam aliunde debitæ, respon-
dit omnino etiam has exigi posse, rationem addens, *quia*
E 2 *ubi*

* * (o) * *

ubi majus conceditur, minus concessum esse videtur. Ex quo inferunt adversarii, eo ipso quod monasterio vel Ecclesiis aliis per privilegium conceduntur decimæ ex antiquis prædiis, conceduntur etiam ex novis: hoc que textu solo nituntur, velut abundantι argumento quia claro, verū respondeamus, ideo decimas novalium adjudicatas fuisse illi Monasterio, quia jure communi ipsi debeatantur antiquæ, ac per consequens etiam novæ utpote ex propriis Parochiis ut pater ex textu ibi: *cum tibi quod majus est, sit concessum, ut videlicet decimas de laboribus terre Parochiarum tuarum cum integritate percipias, de novalibus eas exigere satis potes.* Neque vallet quod illi communiter dicunt, eas Parochias non fuisse incorporatas Monasterio & proprias, sed Abbatem jus dunt taxat Patronatū in illis habuisse, eoquod non fuisse ullaratio dubitandi de novalibus si Parochiæ pleno Jure ad Monasterium pertinuissent, sic enim illæ decimæ utpote jam aliunde & jure communi debitæ gratis fuissent postulatae. Non inquam hoc dicendum, quia, ut patet, ex toto contextu *decretalis* quem integrum affert GONZALEZ in C. 30. de decimis n. 3. Parochiæ illæ erant pleno jure Monasterii, cum verò decimas novalium ex iisdem Episcopos loci concesserat cuidam Canonico, allegans consuetudinem, hanc Pontifex damnavit, ut corruptelam, & illas æquè ac antiquas Monasterii esse pronunciavit. Rem ita se habuisse patet insuper ex allegatis verbis, *ubi majus conceditur, minus concessum esse videtur.* Hæc enim regula vera regulariter est de iis, quæ jure ordinario alicui compedunt & in lege vel Canone sunt concessa, non verò de privilegio odioso quale utique est illud, quod contra parochum conceditur Monasterio, ut multis demonstrant COVAR R. p. 3. de Matrim. Cap. 8. §. 8. num. 37. SANCH. de Matrim. Lib. 8. disp. 1. num. 4. & 32. BARBOS, de pot. Episcop. p. 2. alleg. 33. n. 13.

n. 13. ac alii dum igitur Pontifex illam regulam allegavit,
locutus est de decimis jure communi & non ex privilegio
debitis. Ex haec tenus dictis sequi quis non animadvertisit,
Si ex privilegio decimæ communes sint alicui Laico , Mona-
sterio , hospitali Academiæ cum Parocho loci , hac communia
ne non obstante decimas novalium totas deberi Parocho ,
nisi aliunde constet ; illam communem etiam ad novalia
suisse extensam.

VI.

Quod in præcedentibus de personis Ecclesiasticis statui-
mus id multò potius quoad Laicos nobis videtur, ni-
mir. jus decimandi ipsis concessum non extendi ad nova-
lia propriè dicta, bene autem ad impropria , talis enim con-
cessio tūm propter personam Laici non implentis Spiritua-
le ministerium, ob quod solummodo dantur decimæ, tūm
propter præjudicium Ecclesiæ parochialis odiosa & restrin-
genda C. tua 15. in fin. de decimis & cum privillegium Mona-
sterio competens juxta supra dicta non extendatur ad nova-
lia, multò minus evincetur illud Laicis tanquam minus fa-
vorabile extendi posse ; idem dicimus quo ad religiosos qui
decimas acquirunt cum consensu Episcopi de manibus Lai-
corum justè detinentium juxta C. cum Apost. 7. de his quæ
sunt à Prælato non posse ex translatione juris in se decimas
novalium petere, sicut nec ipsi Laici potuissent, secundum
vulgata quod nemo plus Juris in alium transferre possit quam
ipse habeat, & surrogatum sapiat naturam ejus in cuius lo-
cum surrogatum, Dubitare verò nonnemo posset cur Lai-
cis competere Jus decimandi supponendo tacite quasi statua-
mus, utpote qui decimarum tanquam rei spiritualis alias
sunt incapaces, cui dubio breviter satisfaciamus dicendo ,
Laicos quidem de Jure omnes esse incapaces Juris deciman-

di primarii , seu quod est fundatum in officio sacro & ministris Ecclesiæ ratione sacri ministerii competit , quod & solum propriè dicitur Jus decimandi ; esse verò capaces secundarii , quod secluso spirituali officio alicui competit ad percipiendum id , quod in decimis est temporale , nimis ad fructus , qui nomine decimarum solvuntur , & ex se sunt aliquid mere temporale , percipiendos . DD. passim ad tit. de decimis . Avelli & separari hoc Jus ab illo primariò Ecclesiæ duntaxat authoritate posse apud Catholicos indicatum : cum enim decimæ ex sua naturâ propter ministerium sacrum debeantur , atque ex hoc tantum titulo à fidelibus prætentur , patet eas solum deberi Ecclesiæ , quia hæc sola officio sacro fungitur , si igitur aliis , qui hoc officio non funguntur , competit , id non aliter contigit , nisi authoritate Ecclesiæ , sicut cum princeps supremus Regalia , & quæ alia principis sunt propria vasallis aut aliis , quibus Jure proprio non competit , impertitur . Ex quibus manifeste primo eruimus Jus decimarum primarium & fundamentale Semper manere penes Ecclesiam . Secundo Laicos non tam suo , quam Ecclesiæ nomine decimas sibi concessas colligere . Tertiò sequitur , ut pene observat ENGEL . tit. de decimis n. 38. quod Ecclesia decimas à Laico possessas vindicare contra Fiscum possit , si ille sine legitimo hærede defunctus bona vacantia reliquerit , aut crimen confiscatione dignum commiserit , quia Jus primarium & directum semper manet apud Ecclesiam , & sicut in feudis ac bonis Emphyteuticis D. directo sic & vicissim Ecclesiæ præjudicari non poterit . Uti autem de personis Ecclesiasticis id satis expeditum quod per privilegium pontificis dictum Jus acquirere possint , sic & Laicis illud concedi posse , extra dubium est ; imò per contractum locationis aut usus fructus decimas habere posse , nemo controversum reddit , per talem enim titulum nihil de

de dominio Juris spiritualis in illos, sed tantum commoditas quædam percipiendi decimas non tanquam sibi, sed Parocho debitas transfertur.

VII.

UTrum verò laico decimæ novalium in feudum concedi, item, an ab illo præscribi, possint? major difficultas se offert. Infeudationem quod spectat, notissima res est, ante Concilium Lateranense, quod habitum anno 1179. Laicos potuisse Jus decimandi utile ab Ecclesia in feudum vel Emphyteusin accipere per dictum vero Concilium id prohibitum, C. I. 16. q. 7. quod etiam ad decimas novalium recte extenditur, sitamen alicujus majores ante Concilium decimas in feudum accepissent, is etiamnum hodie eas recte retinere posset Arg. c. 2. §. SANE hoc tit. in 6to. dictam tamen prohibitionem Concilii plurimi DD. tantum de infeudatione perpetuâ & in hæredes transitorâ intelligunt, unde cum correctiones jurium non sint extendæ L. præcipimus 32. §. final. Cod. de appell. existimant etiamnum hodie per Episcopum alitimumque Ecclesiæ Prælatum decimas alicui laico ex justa causa, & cum ordinaria juris solennitate ad tempus vitiæ vel aliud longum tempus in feudum vel Emphyteusin concedi posse, COVARR. var. resol. c. 17. n. 5. constitutionem verò D. Confilii Lateranensis extendimus etiam ad casum, quo decimæ, quæ ante Concilium Laicis erant infeudatae, ad Ecclesiam revertuntur, quod vi dictæ constitutionis Episcopus eas denuò alteri in feudum concedere non possit, FACHIN. lib. 7. cap. 72. MONET. cap. 5. de decimis quest. 3. num. 72. per C. prohibemus & C. quamvis de decimis. Cum enim decimæ ad Ecclesiam reversæ naturam primigeniam recuperent, per consequens in laicos, nisi autoritate suprema Ecclesiæ alienari negueunt, nec obstat

c. 2.

c. 2. de feudis, nam hoc nunquam fuit intellectum de decimis aut quoad has per Concilium ipsi fuit derogatum, neque verum est, quod opponunt dissentientes, concessionem feudi post finitas tot v.g. generationes ad Ecclesiam reversi, non esse novam sed antiquam, concilium autem Lareranense prohibeat decimas dari Laicis in feudum de novo, & anteā concessas non auferat, & sic non videantur de novo dari, si datæ sint ante Concilium, sed solum continuari, contrarium enim patet ex l. 5. ff. de precario l. 113. de V. O. quod finita obligatione seu exacto tempore, quo ipsa dura-re debuit, per renovationem nova causa constituantur. Neque nobis placet sententia distinguentium inter quos SONS-BECK de feudis p. 8. n. 11. an Episcopus mortuo vasallo eas acceptaverit, & Ecclesiæ incorporaverit, an verò decimas nondum acceptaverit, posteriori casu statuentes Episcopum eas denuo infeudare posse, ex ratione quod sic nondum censeantur esse sub dominio utili Episcopi, neque ad hunc pertinere: priori verò casu aliud dicendum, quia sic alienaret de novo contra prohibitionem præfati Concilii, non placet inquam, hoc ipso enim, dum feudum aperitur, vi Juris directi, quod semper penè Ecclesiam manet, Jus utile devolvitur ad eundem alias hoc non posset alteri concedere; quando autem alteri conceditur, nova est concessio novumque feudum, ut cum communi latè tradunt ROSENTH. de feudis c. 2. Concl. 22. & MENOCH. Consil. 1. c. 4. n. 35. duo tamen hic ultra cum MARTA. p. 2. de Jurisdict. c. 43. n. 64. Concedimus, & quidem primum transferri decimas in alium posse, quando prior possessor adhuc vivit, quia dum feudum sic transfertur, manet adhuc feudum, & per consequens, dum alteri conceditur, non erigitur de novo, neque decimæ adhuc sunt sub dominio utili Ecclesiæ, ergo per ejusmodi transationem non magis tam alienantur, quam jam antea alienatae

❀ : (o) : (❀)

natae ab alio tantum possessore detinentur. Alterum quod nova infundatio fieri possit in casu , quando Decimæ redierunt ad Ecclesiam non per se , sed accessoriè v. g. cum castro , cui sunt annexæ , tunc enim cum castri concessione de novo concedi posse sentimus , sicut Jus Patronatūs cum castro alienari posse , cui adhæret , palam est , juxta cap. ex literis
C. cum Sæculum de Jure Patron.

VIII.

NUNC ad præscriptionem Ordinis ratio jubet nos descendere , scilicet an decimæ novalium à Laicis contra Ecclesiam possint præscribi ? quod ullâ præscriptione , sit etiam illa immemorialis fieri posse , negamus , ita Doctores omnes catholici , consentiuntque passim Acatholici SCHNEIDEW. in §. retinende Inſtit. de interdict. n. 36. c. 2. n. 28. BRUNNEM. de cœf. act. c. 4. n. 63. Ratio assertionis est , quia p:æscriptio supponit capacitatem possidendi , juxta legem 25. ff. de usurp. & usucap. & C. 3. de Reg. Jur. in 6to. cuius possessionis laicus est incapax , neque dicas sufficere , quod possit & detinere illud , quod est temporale in decimis , scil. commoditatem ipsam percipiendi decimas , sive ut alii dicunt illud Jus Secundarium , ad quod responsio patet ex supradictis , nempe illud quod est temporale in decimis , separari a Jure Spirituali non posse per solam Laici detentionem , sed hoc fieri necesse esse cum authoritate Ecclesiæ. Et quid mirum ! cum plurimæ sint res , quæ propter legis vel Canonis dispositiōnem possideri Juridice non possint , nisi subsit titulus seu jus habendi ac detinendi , sic liber homo possideri nequit ; nisi cum titulo quo in servitutem redactus sit , L. 30. §. possessionem ff. de acquirend. possess. ita pariter spiritualia possideri nequeunt , nisi titulo privilegii aut concessionis le-

E

gitime

giūmē factæ , hinc nec in tali casu bonam fidem prodeſſe
poſſidenti concors eſt ſententia Doctorum juxta L. 24. de
uſucap. ubi lex impedit uſucaptionem , bona fides poſſidenti nihil
prodeſſet , & licet aliaſ quidquid per privilegium acquiri, illud
etiam per præSCRIPTIONEM immemorialem acquiri poſſit, ne-
gatur tamen hic ſuppoſitum, ex perſona laici dari immemo-
rialē decimaruſ præSCRIPTIONEM ; datur quidem immemo-
rialis detentio, queſ eſt facti, ſed ex defectu poſſeffionis & pro-
pter Juris reſiſtentia non poſteſ dici immemorialis præSCRIPTIO.
quidverò proſit laico ſi ille per tempus immemoriale decimas
poſſederit , item quid interſit , an laicus præscripſerit deci-
mos, an illas per tempus immemoriale poſſederit , Confer.
ENGEL tit. de decimis à n. 26. uſque ad 34. quod verò laicus
Jus decimandi novalia præſcribere contra laicum poſſit, cum
communissima affirmanus BERN. VASQ. l. 2. Controv. c.
89. n. 3. VALASC. de Jure Emphyteut. Q. 17. n. 15. GUTTIER
l. 1. praet. Q. 4. n. 3. Et Q. 15. n. 7. ex hac potiſſimum ratio-
ne, quod mutata personæ poſſidentis conditione , mutetur
ipſorum bonorum conditio per c. 1. §. verum de Jur. Patron.
in 6to L. 90. ff. de acquirend. hered. Quando ergò decimæ
per legitimam Ecclesiæ confeſſionem in laicum transferuntur,
ſeparantur à Jure & titulo Spirituali, fiuntque laicales, con-
ſequenter alii quoque laici earum fiunt capaces, qua capa-
citate ſemel poſta jam non eſt ratio, cur ab ipſis non poſſint
præſcribi, videturq; hoc non ſolum tunc admittendum, quan-
do decimæ absolute & in vim ſimpliciſ ac perpetuaſ donatio-
niſ in laicum translatae fuerint; ſed etiam quando in feudum
datae ſint , quamvis de hoc quidam dubitet, eoquid si fo-
lum in feudum dentur, non omnino ſeparentur à Jure Spi-
rituali propter recognitionem , quam debent Ecclesiæ , &
dominium directum quod penè eam manet : non tamen
hoc obeffe videtur, per Investituram enim id , quod in de-
cimis

cimis temporale est, separatur à Jure Spirituali, unde non apparet, cur præscribi etiam à laico non possint, nam præscriptio non tollit Jus directum Ecclesiæ in posito casu (cùm istud non præscribatur) neque præjudicium aliud eidem, facit, cum respectu Ecclesiæ perinde sit, penes quem ex laicis sit dominium utile; & forsitan istud facilius redibit ad Ecclesiam, dum est penè præscribentem cui in feudum concessum. Atque ad hanc præscriptionem tempus cum titulo ordinarium, absque titulo longissimum sufficere putamus juxta vulgata Jura.

IX.

Ulterius examinandum venit, quid si monasterio vel cuidam laico non jus decimandi in genere, sed terminis magis specificis jus decimandi novalia per privilegium concessum sit, quo usque privilegium hoc extendendum? Et quidem quod is, cui d. privilegium conceditur, non possit vi illius percipere illas, quas alius tempore concessi privilegi ex novalibus possidebat, sed solum ex iis, quæ post privilegium impetratum sicut patet ex cap. 2. prin. b. tit. de decimis in 6to. ubi quidem Sermo est solum de iis, qui possident veteres decimas & insuper novas impetrant; sed cum pars ratio etiam de iis, qui nec veteres ante percipiebant, idcirco absolutè dicendum est, sub concessione novalium non intelligendas esse eas, quas tempore privilegii ex novalibus alii jam possident, nisi de his in privilegio specialis fiat mentio, hoc quæ aperte statuitur in C. §1. de privil. nec immoritò ne Pontifex in dubio ullius Juri præjudicari velle præsumeretur MONET. de decimis c. 4. n. 72. & 73. idem Juris esse censemus in casu, quando alicui privilegium concessum, decimas novalium pro ea parte quæ veteres possidet, percipiendi, quod illud privilegium non extendatur ad alias deci-

mas nec ad alia loca , sed ad eam tantum partem , pro qua veteres possidet. per C. Statuto 2. princip. de decimis REBUFF. Q. 4. n. 35. illud verò speciali notâ dignum, quod privilegium decimarum novalium limitatum ad mensuram antiquarum non extendatur ultra dimidiā partem decimarum, etiamsi amplius in veteribus haberetur. MONET. de decimis c. 4. n. 72. & seqq. ex ratione , quod non sit verisimile Apostolicam Sedem, si tunc de plena & integrâ perceptione veterum fuisset expressum, novalium decimas in tam grave Parochialis Ecclesiæ dispendium induluisse, per d. C. Statuto §. Statuimus de decimis in 6to qua tamen constitutione nolle comprehendia assentit Pontifex Monachos Cistercienses & Carthusienses in d. Capit. hi enim, si percipiāt integrā, vel plusquam dimidiā decimarum antiquarum partem, vigore talis induiti tantundem quoque habebunt in novalibus.

C A P U T . IV.

De modo procedendi circa exactionem decimarum, nec non de Judice competente in causis decimarum novalium.

I.

AD quem pertineant decimae novalium, pro nostro Instituto satis discussisse opinamur ; nunc de Judice competente quæque in causis decimarum Jura suppedinent remedia, nec non de modo procedendi in iisdem substrata Dissertationis nostræ indicabunt. Evidem de foro competente in causa decimarum multiplex magnisque partium studiis agitata, sed nunquam decisā quæstio. Nos ob varietatem casuum

casum hanc quæstionem in triplicem dividere Judicamus,
Prima quis Judex sit adeundus, quando uterque litigans, vel
 reus est Clericus, *Alteria*, quis ad eundus; quando Clericus
 est Actor, & laicus est reus in petitorio, *Tertia*, quis si lai-
 cus est reus in possessorio. Circa quæstionem *primam* nul-
 lis dubitat, solum Ecclesiasticum Judicem esse competen-
 tem, tametsi solum agatur super possessorio, MENOCH.
 de retin. possif. Remed. 3. n. 346. GUTTIER L. I. C. QQ. c. 34.
 n. 22. quod etiam extendimus, tametsi agatur de mero facto
 v. g. an Monasterium aut Clericus, qui obligatur ad deci-
 mas, eas solverit, ex ratione, quia personæ & bona Ecclesias-
 tica in causis etiam temporalibus, specialiter non exceptis
 forum Ecclesiasticum sortiuntur, c. 2. 4. Et 12. de for. com-
 pet. c. 2. eod. in 6to ENGEL. tit. de decimis n. 59. ad quæstio-
 nem *secundam* unanimiter sentiunt causam decimarum in
 petitorio, quando quæstio Juris est, privativè spectare ad Ju-
 dicem Ecclesiasticum, suffragatürque praxis Cameræ Impe-
 rialis utpote quæ appellationem in causis decimarum in pe-
 titorio non recipit teste GAIL. l. i. observ. 38. n. 2. HART-
 MANNO HARTMANN praet. Forens. l. 2. c. 2. Miscell. §. 11.
 Cujus vero Judicis sit quæstionem facti quo ad decimas no-
 valium decidere in petitorio, v. g. cum queritur an Paro-
 chianus solverit decimas novalium integras, an fraudem in
 solvendo commiserit, de eo magis dubitatur, licetque de Ju-
 re Canonico eorum sit valde probabilis Sententia, qui Judi-
 ci Ecclesiastico privativè Juris dicendi potestatem concedunt,
 per C. 2. Et 3. de Judic. Sanior tamen Sententia habet, quam
 tenent MONETA c. 8. Q. 1. n. 6. ENGEL & alii in posito ca-
 su cognitionem esse mixti fori & sic etiam ad laicum Judi-
 cem pertinere, ex ratione quod ejusmodi quæstiones
 sint solum de nudo facto, & nullum involvant Jus Spirituale.
 Aliud tamen dicendum existimamus quo ad Judicium posse-
 forium

sorium habens ad mixtam causam proprietatis, hoc enim à solo Judice Sacro examinandum, licet reus sit laicus, possessorum enim Judicium rei spiritualis habens admixtam causam proprietatis minimè dici poterit temporale per c. 3. de Ord. cognit. MENOCH. *de recup. possess. remed.* 15. n. 235. Solum dubitatur de possessorio retinendæ & recuperandæ possessionis, quando videlicet is, qui est in quasi possessione decimandi novalia, in ea turbatur vel spoliatur, hic complures sunt, qui cognitionem tribuunt Judici laico, cuius Sententiae etiam est GAILIUS, verius tamen de Jure Canonico nobis videtur sentire cum illis, qui Judicem laicum non esse competentem in Judicio possessorio, tametsi sit solum retinendæ aut recuperandæ possessionis, atque hanc sententiam fovent SCHRADER p. 10. Sect. 1. n. 84. MONET. c. 8. Q. 1. n. 10. CONZAL. in c. 13. de decimis n. 4. & sat indicare videntur Clem. Unic. *de caus. possess. & propr. & Clem. unic. de sequest. possess. & fruct.* Accedit, quod qui agat possessorio recuperandæ debeat titulum saltem coloratum probare, an vero titulus sit coloratus & an sufficiat, ut quis manuteneatur in possessione, quæstio non meri facti, sed Juris est. Questionem vero Juris in causis decimarum decidere non posse laicum, tametsi sit solum incidens, tenet probabilior Canonicistarum Sententia. Aliud tamen sentimus in casu, quo de solo facto eoque liquido agitur v. g. Si Clericus turbatur in sua quasi possessione Juris decimandi, & nullum Jus turbatori esse constet, ubi libenter concedimus adiri posse etiam laicum Judicem; haec in puncto Juris vera, sed in praxi sua non desituuntur limitatione, cum juxta ENGEL tit. de decimis n. 59. causa decimarum, si petitorio agatur, accenseatur Spiritualibus, si possessorio Judicio existimat hanc cognitionem ad Judicem laicum indistinctè pertinere, quam opinionem praxi Cameræ Imperial. receptam affirmat GAIL. l. 1. obs.

obs. 38. n. 2. imò Jure Austriaco rem expeditam testantur
 FINSTERW. l. 4. obs. 144. GRÖNECK tit. de decimis Q. 22.
 Omnes scilicet decimarum causas non tantum in possessorio,
 sed etiam petitorio coram excelsò Reginine ventilari &
 decidi debere. Cujuscunque ergo Regionis consuetum mo-
 rem & receptam observantiam intueri in hac materia non
 immerito existimamus

II.

CUM agi in causis decimarum diversimodè possit, nimi-
 rum causas non tantum in possessorio Judicio, vel de ip-
 sis fructibus iisque aut jam separatis aut nondum separatis;
 idcirco pro diversitate intentionis Actoris ac ipsius rei quæ
 petitur, diversas actiones dari, omnis facile concedet & hinc
 cum in decimâ parte fructuum à reliquo cumulo separata
 Parochus habeat jus plenum ac proprietatem per legem 23.
Cod. de Ss. Ecclesiis Decimatori competere rei vindicationem
 unanimiter sentiunt Doctores, idem de decimatore laico,
 nec non fructuum Empatore aut conductore afferimus, cum
 illi non tam suo, quam Ecclesiæ nomine decimas ipsas no-
 valium percipient; aliud statuunt præfati Doctores in deci-
 mis à reliquis fructibus non separatis, in quo casu utpote
 cum nullum Jus in re perfecte decimatori quæsitum, sic
 nullam actionem realem sed tantum conditionem *ex Canone* 32. attribuunt, quæ conditio etsi sit personalis, est tamen
 in rem scripta, competitque non tantum adversus fructuum
 Dominum, sed etiam adversus quemcunque, ad quem fru-
 ctus indecimati pervenere, utpote, cum præstatio decima-
 rum sit onus fructibus inhærens, ambulans cum ipsa re ad
 quemcunque possessorem. Non tamen improbabili eorum
 sententia, qui etiam in dicto casu actionem communi divi-
 dundo

dundo decimatori competere statuunt, ENGEL tit. de decimis n. 17. quidquid dissentiat FRIDERICH. de decimis fol. 313. sicut & locum habere actionem confessoriam in casu, quo decimator impeditur, turbatur quo minus quiete Jure suo uti valeat, recte tenent SCHNEID. Inst. de action. n. 10. LAUTERB. in compend. fol. 113. & alii. item interdictum uti possidetis dari etiam in casu quo Parochus nullas adhuc ex isto fundo percepit decimas, eoque per beneficium collationem & inductionem in possessionem effectus sit possessio omnium rerum & Jurium sui beneficij communiter statuunt, ut videre est apud REBUFF. Q. 9. n. 3. & 4. MONET c. 8. Q. 3. n. 31. cum autem plerisque contingat, illum, qui in possessione diurna est decimas colligendi, vi prohiberi quominus illud per temporis intervallum notabile exercere possit, adeoque ex quasi possessione vi dejectus sit, Jura ipsi abunde suppeditant remedia, quibus quasi possessionem praefati Juris recuperare possit, nimis. interdictum unde vi utile; cui quam maxime affine remedium est conditio ex Can. REDINTEGRANDA caus. 3. Q. 1. nec non ex C. SÆPE 18. de restitut. Spoliat. & licet non pauci sint, qui prius remedium recuperandæ possessionis in aliis causis præter decimas adversus quemcumque tam bonæ quam malæ fidei possessorem competere dicant id tamen cum recentioribus quoad utrumque negamus, inter quos COCCEJ. in Jur. Controv. l. 43. tit. 16. Q. 7. in fin. hancque sententiam in praxi obtinere testatur GAIL. l. 2. obs. 75. n. 11. MOD. PIST. Vol. 1. Conf. 57. n. 6. quid autem dicendum de vulgata illa Juris Regula, Spoliatus ante omnia restituendus. An secundum hanc sine limitatione in decimis novalium procedi debeat, breviter examinabimus.

III.

Questionis hujus solutionem difficilem reddunt Jura aparenter sibi contraria & quamvis tam leges civiles quam Sancti Canones Spoliatum ante omnia restituendum esse statuant, contrarium tamen decidere videtur, c. 2. de restit. Spoliat. in 6to. ubi expressè statuit RONIFACIUS VIII. ad decimas, quas Canonici S. NICOLAI se afferunt intra Parochiam Ecclesiae B. Clerici possedisse aliquamdiu & ejus per eundem Clerum Spoliatos fuisse nequam debent restitui, nisi evidenter docuerint, quod eam possessionem legitimè asecuti fuissent, quia eas occupasse injustè verisimiliter presumuntur, cum proveniant ex prædiis in aliena Parochia constitutis, sitque manifestum (nisi aliud ostendatur) eas de Jure communī ad eandem Ecclesiam pertinere, hinc ad hanc difficultatem penitus tollendam, regulam sequentem ponimus, ut Jura Juribus concordemus, C. cum expeditat 29. de Elect. in 6to Spoliatus non est ante omnia restituendus, sed prius legitimū possessionis titulum probare ipsi incumbit, si habet Juris presumptionem contra se, & Jus commune affiat ipsi spolianti, ex qua regula omnes in hac materia nodos solvere, quidquid P. ENGEL tit. de decimis n. 4. dissentiat, putamus; Hinc in casu quando Laicus est spoliatus decimis novalium, non est restituendus antequam titulum suæ quasi possessionis ostendat, vel quasi possessionem per tempus immemoriale ita GONZAL. in c. 7. de restit. spol. n. 13. suffragaturque C. à nobis supra allegatum, cum enim Laicus de se sit incapax hujus Juris possidendi, tamdiu contra illum presumitur, donec hanc presumptionem elidat, & quanquam in possessorio opus non sit justificari titulum ultra possessionem; aliud tamen est in casu, si Jura expressa dejecto resistant; hancverò presumptionem elidere potest, vel alle-

F

gan-

* * (o) * *

gando & probando titulum verum v. g. *privilegium*, vel titulum præsumptum nimis. allegando detentionis tempus im- memoriale. Idem sentimus, si parochia est incorporata Mo- nasterio, Ecclesiæ Cathedrali vel Collegiatæ, quod restituendus contra eas non sit laicus spoliatus, cum enim ob incor- porationem factam Monasterium quoad decimas censeatur loco Parochi, consequens est, idem Juris statuere, quod in priori casu esse duximus. Sicut & ultrò sequitur, quodsi Mo- nasterium vel Clericus à proprio loci Parochio in quasi pos- sessione Juris decimandi novalia turbatus & spoliatus fuerit, non sit restituendus, nisi titulum vel præsumptionem pro se habeat; Parochus enim habet tamdiu pro se fundatam in- tentionem in Jure, donec adversarius, quiscumque ille sit, contrarium probaverit per c. 29. & 30. de decimis cum hac tamen inter Clericum & Laicum notabili differentia, quod Laicus debeat probare tempus immemoriale ad colo- randam suam possessionem, Clerico autem vel monasterio demonstrare sufficiat, se longo tempore in pacifica posses- sione juris decimandi fuisse ut sentiunt ENGEL tit. de decimis §. 1. n. 4. KÖNIG de rest. n. 13. cùm enim laicus secluso privi- legio sit omnimodo incapax possessionis spiritualis, quod de Clerico vel monasterio nullo modo dici poterit, hinc perso- nam Ecclesiasticam melioris conditionis esse quis non intel- ligit? idem sat indicasse videtur PONTIFEX in c. 2. de rest. Spoliat. in 6to. dum dicit: Canonicos, quibus negandam asserit restitutionem fuisse aliquamdiu in possessione; utique illam non negaturus, si fuissent per aliquod longum tempus in possessione, quam diurna vero esse debeat possessione ad- hoc, ut prævaleat assistentia Juris, quam pro se habet Paro- chus difficile est, determinare, unde relinquimus arbitrio Ju- dicis, cùmque in Jure longum seu diuturnum tempus sit de- cennium, saltem decennalem possessionem continuatam re- quir

quiri ad hoc, ut spoliato detur restitutio, opinamur. Dicatum vero Procardicum quod spoliatus ante omnia sit restituendus, pedem figere in casu, quo Jus commune non resistit spoliato nec assistit spolianti; statimius, quem unum aut alterum casum ex multis figurare sufficiet, nimurum si a Clerico vel Monasterio cui Jure communi non debentur decimæ novalium, spoliatus fuerit laicus, hinc inde laicum ante omnia esse restituendum censemus cum BARBOSA in L. 37. ff. de Judiciis n. 131. & aliis, et si enim in data hypothesi Jus resistat laico spoliato, non tamen sic resistit, ut monasterio spolianti assistat, hinc concedenda erit laico restitutio; sicut & laicum spoliatum decimis ab alio laico ante omnia restituendum esse afferunt COVARR. L. 1. Var. Resol. c. 17. n. 6. FERN VAS Q. 22. Controv. c. 89. ex antea præfatis fundamentis. Remedia, quibus quis Jus legitimè persequi valeat, enumera vimus, de modo procedendi, quid pro causæ controversæ ratione vel actor vel reus probare debeat, nostrum jam erit pertractare.

IV.

Cum Parochus ratione decimartum novalium habeat pro se fundatam in Jure intentionem, huic ad nihil aliud probandum tenebitur, quam se esse Parochium loci, intra cuius fines fructus decimales proveniunt, idque procedit, tametsi alius sit in possessione, quanquam enim juxta Jura vulgaria possessor pro se præsumptionem habeat, & ob eam onus probandi in adversarium rejiciat, aliud tamen obtinebit, in casu, si ipsi possessori aliqua præsumptio vel ipsum Jus resistat. Quodsi autem alius hoc Jus Parocho in dubium vocare & sibi legitimè competere contendat, ipsi probatio, quam illam præsumptionem per aliam fortiorem evertat, incumbet,

bet, hinc Ecclesia cui Jure communi non competunt decimæ novalium, eas prætendens assignare debet vel privilegium, aut investituram à Ss. Pontifice concessam, vel incorporationem seu unionem Parochiæ vel præscriptionem aut consuetudinem aut alium quemcunque titulum, unoque ex his modis jus decimandi legitimè sibi suisque quæsitum, doceat necesse est; sicut & de laico communiter tradunt Doctores, quos supra allegavimus, ipsi incumbere probationem de donatione à Ss. Pontifice sibi factam, vel de detentione d. juris immemoriali. Quod circa ipsum jus decimandi tradidimus, idem obtinere in casu, quo aliquis à Decimis se prætendit exemptum, dicimus. An autem inferioris judicis sententiâ gravato ad Superiorem provocandi jus competit, non videtur esse res expedita: Appellationem in decimis esse admittendam, simpliciter negant MARANT. p. 6. de Ord. Judic. tit. de appellat. n. 304. REBUFF. Q. ult. de decimis alii vero admittendam esse simpliciter affirmant. quibus & nos subscribimus, nemini enim deneganda defensio, quâ jus suum legitimè tueri valeat, utpote de jure naturæ concessa; hanc tamen limitationem ponimus, ut quælibet appellatio non semper producat eundem effectum, sed subinde tantum devolutivum, subinde suspensivum & devolutivum simul quare hujus rei declaranda causâ aliquos casus recensere non erit superfluum; & quidem effectum tantum devolutivum ponit appellatio in casu, quo victori jure communi decimæ competit. ob fortissimam illum præsumptionem quæ jura pro tali fovent, scilicet si Parochiani detrent Parochio solvere decimas novalium prætendentes consuetudinem vel præscriptionem per c. 26. de decimis ex ratione, quod decimæ sint instar tributorum, cum his à jure æquarentur per C. 66. 16. Q. I. in vestigalibus autem & tributis principi solvendis appellans non auditur Can. 41. 2. Q. 6. §. quo-

quoties accedit quod decimæ Clericis assignatae sint pro alimentis, præstatio autem alimentorum celerem executionem desiderat, uti sumitur ex L. fin. ff. de appellat. recip. L. 2. ff. de re Judic. Si autem inter duas Ecclesiæ quarum neutri de jure communi dictum jus debetur, oriatur lis super jure decimandi, conceditur illi, qui condemnatus est judicio, ulterior provocatio cum effectu non tantum devolutivo, sed etiam suspensivo, idem dicendum videtur quando super hoc jure litigant duo laici, item si Clericus vel Ecclesia, quæ est in diuina quasi possessione juris decimandi condemnetur, in causis enim hisce positis jus decimandi est dubium, unde non est æquum, ut alteruter litigantium cogatur alteri cedere, quamdiu jus est dubium, & Sententia nondum transit in rem judicatam FRIDERICH de decimis



fol. 333.

F I N I S.



F 3

PO-



POSITIONES JURIDICÆ.

I. Provisus Apostolicus de beneficio in mense Papali vacante vi concordatorum germaniae tenetur intra trimestre, à Die *Noteae Vacationis in loco beneficij* apparere coram ordinario, alias ordinarius hoc beneficium licite & valide confert alteri, excludendo à Papa *provisum*.

II.

Idem dicimus in Casu, quo collatio beneficii mense Papali Vacantis intra Trimestre facta est à Papa, sed invalide v. g. ob inhabitatem personæ provisa; quod collatio ejus ab ordinario fieri possit.

III.

Beneficium, licet sit simplex in mense Papali vacans potest ordinarius germaniae Sede Papali vacante Conferre.

IV.

Ordinarii germaniae in mensibus Pontifici Reservatis possunt Recipere Resignationes, & beneficia resignata libere conferre, non obstantibus concordatis & aliis Apostolicis constitutionibus.

V.

V.

An consuetudo sit Rationabilis, vigore cuius
Clerici de bonis omnibus intuitu Ecclesiae acqui-
sitis per actus ultimae Voluntatis Disponunt.
Problema esto.

VI.

Utrum substitutio pupillaris tacita excludat
matrem à legitimâ. *Problema esto.*

VII.

Utrum in Emptorem Hæreditatis Transeat
Jus accrescendi. *Problema esto.*

VIII.

Utrum si secundum naturam Contractus non-
ni si ex culpâ levi vel lata sit actio, lege aquilia agi
possit ratione culpæ levissimæ. *Problema esto.*

IX.

Utrum excusio debitoris principalis de Jure
Novo requiratur, antequam Hypothecaria con-
tra possessores rei specialiter Hypothecatæ aga-
tur. *Problema esto.*

X.

An status Imperii Romano germanici sit Mo-
narchicus. *Problema esto.*

XI.

Alius, quam Catholicæ Romanæ Religioni ad-
dictus, non potest Eligi in Imperatorem.

XII.

XII.

ad Electore licet non cato , ab electione intra tempus præscriptum emanente ; electio ab aliis facta omnimodo subsistit

XIII.

Salvo A. B. textu filio Electorali impuberi in testamento paterno tutor dari potest.


XIV.

Filius non Hæres Patris feudum antiquum cum consenu Domini ab illo alienatum post mortem ejus revocare potest

XV.

Judici eum , quem privatim scit innocentem , Juxta acta , sive in causa criminali sive civili condemnare non licet.

F I N I S.



ULB Halle
006 398 766

3



vd18



3473
17371

DISSE^TRAT^IO^N
INAUGURALIS JURIDICA
DE
DECIMIS
NOVALIUM,
QUAM
EX DECRETO & AUTHORITATE INCLYTÆ
FACULTATIS JURIDICÆ
IN ALMA, PERVETUSTA, SEMPERQUE CATHOLICA
ELECTORALI UNIVERSITATE MOGUNTINA,
PRÆSIDE
PRÆNOBILI, CLARISSIMO ET CONSULTISSIMO
VIRO AC DOMINO,
D. JOANNE VALENTINO
STRAUS, J. U. D.
Juris Publici & Codicis Profess. Publico & Ordinario,
nec non Facultatis Juridicæ ASSESSORE,
PRO SUMMIS IN UTROQUE JURE HONORIBUS, ATQUE
PRIVILEGIIS DOCTORALIBUS CONSEQUENDIS
PUBLICÆ DISQUISITIONI EXPONIT,
GEORGIUS ADAMUS TAVERNIER
Mogonus, Insignis Eccl. Coll. ad S. Andream Worm. Canonicus,
J. U. C. Auth. & Resp.
IN COLLEGIO SCHENCKENBERGICO
Die 18 Septembris Horis consuetis ANNO M DCC XXXVII.
MOGUNTIA, Imprimebat Joannes Joachimus Franckenberg, Typograph. privil.
& extraordinarius Academicus.